



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatus De Fiducia In Deum Plurimas Et Utilissimas pro  
vitâ spirituali instructiones Continens, Præcipue Ad  
Obtinendam magnam animæ quietem, & afflictiones  
quascunque ingenti cum solatio & fructu ...**

**Dusault, Nicolas**

**Coloniæ Agrippinæ, 1660**

§. 4. Illustria exempla duorum amori mundi renuntiantium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50333)

*Illustria duorum exempla mundi renuntiationum amori.*

**T**heodorus quidam nobili loco natus cum quodam die videret domi patris ingentes fieri apparatus ad peragendam magnificè nescio quam celebritatem, considerans vesperam diei, finem festivitatis istius allaturam, abdidit se in secretiore domus parte multisque suspiriis & lacrymis mundanæ vanitatem deplorans statuit illi valedicere, & pompam eius cum religiosâ veste vitæque commutare, id quod brevi post perfecit à S. Pachomio in disciplinam susceptus. *In vita PP.* Narratur in chronicis Ordinis S. Dominici de Rolando quodam Cremonensi Doctore per celebri, qui consumpto una cum amicis suis festivo quodam die in multâ lætitiâ & variis oblectationibus; Demum nocte appetente secessit tot cogitationum volvens in pectore fluctus, quot fuerat interdum recreationibus delinitus. Quò recidère, dicebat apud se, ista mundi oblectamenta, quibus hodie abundavi? ubi nunc festivæ epulæ, delicatum vinum, joci, lusus, & saltus Societateque illa familiarium iucundissima, unde tantam percepi voluptatem, & hæc ipsa voluptas quo

quo devenit? Ex hac cogitabundâ tranfactæ  
diei repetitione cognovit quod omnia mun-  
di bona, revera tandem ad nihilum deveniant  
*tamquam aqua decurrens*, ut loquitur regius  
vates psal. 57. Itaque decrevit deserere impo-  
storem mundum, & totum se mancipare  
Deo, illique in religioso S. Dominici ordine,  
reliquo vitæ tempore deservire. Hoc sane  
modo magnus hic vir sapienter illusit delu-  
sori suo. Utinam omnes ii qui illum in cap-  
tandis hujus vitæ delectationibus imitantur,  
in suscipiendâ quoque penitentiâ æmulentur  
renuntiantes vanitatibus mundi, à quò quo-  
tidie produntur & perduntur, atque spem om-  
nem in Deo solo ponant, à quo decipi  
nunquam possunt.

## §. V.

*Quanto opere homines fugiant con-  
temptum sui.*

Quemadmodum nihil est hominibus iur-  
cundius acceptiusque honore & secun-  
dâ nominis æstimatione, ita nihil ingratius  
detestabiliusque contemptu & calumniis. Ad  
hoc probandum facit quod historiographi  
Galliæ narrant, respondisse quemdam egre-  
gium belli ducem Carolo 7. Francorum Re-  
gi, cui cum is singulari diligentia & constan-  
ti fidelitate serviret, Rex illum tam pro me-  
ri-